



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exhortationes|| Ad|| Religiosos

Dirckinck, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1704

3. De præstantia zeli animarum. Thema. Obsecro ut fiat in me duplex spiritus tuus. 4. Reg. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51834)

EXHORTATIO III.
IN REGULAM II. SUMMARI.

De Præstantia zeli animarum.

T H E M A.

Obsecro ut fiat in me duplex Spiritus tuus. 4. Reg. 2.

Vel ex Regula II.

Finis hujus Societatis est.



D prædictum geminum finem, salutis & perfectionis propriae & alienae, strenuo & indefesso labore ac sudore procurandum magno Dei & proximi amore, zeloque opus esse, quis non perspicit? Libro 4. Regum cap. 2. Legimus Eliseum ab Elia Magistro suo petisse: *Obsecro, ut fiat in me, duplex Spiritus tuus.* Respondisse vero Eliam: *Rem difficilem postulasti, attamen si videri me, quando tollar a te, erit tibi, quod petisti; si autem non videris, non erit.* 1. S. Thomas aliique Interpretes, Eliseum flagitasse

asserunt, præter Spiritum Propheticum, quo gaudebat, etiam Spiritum miraculorum, quo ad id tempus carebat. Res difficilis. 2. Alii censent postulasse duplicem portionem Spiritus, non comparatione Eliae, id enim verecundia non livisset; sed respectu aliorum Prophetarum, quorum Pater spiritualis & Magister erat Elias; primogenitus vero (quibus duplex hereditatis portio jure debebatur) erat Eliseus. Res rursum difficilis. 3. Alii per Spiritum duplicem intelligunt Spiritum ardentem divinæ Charitatis, & Charitatis ac zeli erga proximos. Denud res difficilis; sed hæc nobis in Societate JESU ad finem nostrum assequendum, omnino necessaria; erimus enim.

P 2

enim.

enim, Deo favente, aliquando Verbi Divini præcones, qui in nova Lege Prophetarum locum obtinent, & zelatores animarum, ac miraculorum spiritualium, patratores: erimus Patres spirituales & Magistri aliorum, quibus duplex portio Spiritus Christi, Sancti Ignatii & Xaverii convenit. Erimus operarii in vinea Domini, in laboribus multis, in ærumnis & periculis, proindeque duplex iste Spiritus omnino nobis est necessarius: res difficilis; sed non propterea despondeamus animam: *δύσκολα τὰ καλά*: Difficilia, quæ pulchra: Obtinebimus autem hunc Spiritum. 1. Ferventi indies Oratione: *Obsecro fiat in me duplex Spiritus tuus!* 2. Consideratione; ut exponit S. Bernardus Serm. 3. de Ascensu, Si viderimus Christum, quando & quomodo tollatur in Cælum, & ad quam coronam & gloriam devehit: & cogitaverimus, nos in hoc exilio relictos, tanquam exules, & peregrinos, ad hoc unum, ut Deum & proximum diligendo, & juxta vocationem nostram animas lucrando, tandem etiam cum illo feramur in Cælum, & gloriam zelatoribus animarum debitam obtineamus.

Quem in finem zeli præstantiam exponemus.

Considerabimusque excellentiam hominis, animæ & zelatorum.

I.
Præstantia
hominis.

I. Excellentia prima, quæ ad ferventer postulandam hujus Spiritus gratiam, omnisque in proximi salute & perfectione procuranda difficultates generosè superandas animare nos potest, est nobilitas hominis; quam

ut melius percipiamus, ejusque naturam, dignitatem, ac majestatem intelligamus, peritiores audire necessesse est. Platoni L. 1. de Legibus, Homo dictus est *Divinum Miraculum*. Aristoteli L. 6. Ethic. c. 6. *Homo est, rerum quæ in mundo sunt, una omnium præstantissima*. Trismegisto homo appellatus est *Deiformis*, quasi forma quædam animata Dei & suo, id est summo omnium parenti, simillima. Protagora, *Homo est summum rerum mensura*. Plinio seniori, *Homo est animal Princeps ceteris imperatorum*. Theophrasto, *Idea quædam atque exemplar totius universi*: Atque hæc illi Authores profani de natura hominis pura, & quasi nuda, aliique ornamentis destituta. Verum ab his ad sacros Authores transeamus.

S. Jacobo Apostolo in Epist. cap. 1. 18. Homo dicitur *Initium Creatura Dei*. In Græco est, *primitia*: Ut enim primitiæ sunt primi fructus, quodammodo sacri, jucundi quàm maxime, præcipuoque honore commendati: Sic & homo Creaturas inter & Deo in primis facer est, ei que devotus, atque in paucis gratus atque jucundus. *Initium Creatura*. Occumenius interpretatur *primum & honoratissimum*. Addit S. Chrysostomus, *uti Initium, sic & finis*, sic licet tenuis ac pannosus. S. Ambrosius in Genesim, eum *Mundi Dominum ac Regem* nuncupat: *Processit postremus creaturarum omnium Homo, specie gratus, mente sublimis, ut omni esset Creatura miraculo, Quod & amet, & suspiciat, & revereat*. S. Gregorio Nazianfeno Orat. 38. *Homo non est Microcosmus; ut vulgus*

H.
Præstantia
animæ.

autem.

autumat, sed magnus Mundus in parvo. Magnus, inquam, non mole, sed virtute & dignitate.

Si nobilis adeo Creatura est Homo, secundum naturam, qualis erit secundum gratiam? Sanè hæc præditus evadit imago Dei longè pulchrior & illustrior: Evadit per gratiam amicus, familiaris & Socius Ss. Trinitatis: *Ut Societas nostra sit cum Patre & cum Filio ejus / ESU Christo. 1. Joan. 1. 3.* Evadit Filius Dei adoptivus, & hæres Dei, & cohæres Christi, cujus hæreditatis magnitudo & præstantia, tanta est, ut verbis explicari, aut mente concipi nequeat: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ Deus præparavit diligentibus se; 1. Corinth. 2. 9.* Evadit Frater Christi, Sponsa Spiritus Sancti, templum Dei.

Si igitur adeo nobilis Creatura est homo, an non operæ pretium est, si in inimicitia Dei sit, laborare pro viribus, ut Gratia Dei restituatur? Ut finis & initium Creaturæ omnis, Creaturarum miraculum, microcosmus, & magnus mundus, conditori placeat, & potestati Dæmonis eripiat? Et si in Gratia Dei est, ut perficiatur, templum Dei amplius mundetur? Frater, Socius, Hæres, Sponsa Christi gratior eidem reddatur?

II. Excellentia altera, quæ nos ad pægendum à Deo & exercendum strenuè zelum animarum impellere & excitare potest, est præstantia animæ rationalis: Hæc enim est quæ dat motum artibus, sensum corpori, actionibus vitam, valorem, felicitatem. Hæc

Prophetæ regio est hominis Gloria, quæ scilicet omnis petitur ab intus. Psalm. 107. Hæc Gentium Doctore est, *The-saurus in vasis fictilibus*, nimirum in luteo corpore, in carne rumpi facili, atque in terram, lutumque reditura.

Quisnam verò sit ejus valor, quænam dignitas, non aliunde melius quam ex pretio, quod pro ea à sapientissimo Redemptore, datum est, intelligitur. Quid igitur pro ea datum est? *Empti estis pretio magno*, inquit Apostolus 1. Corinth. 6. 20. At quonam illo? Ipsomet Christo, Dei Filio unigenito: nam ipse dedit pro nobis redimendis & pro anima nostra, Corpus suum, Sanguinem, animam, Divinitatem. *Qui dedit semetipsum pro nobis*, ait idem Apostolus ad Titum 2. 14. Quare meritò S. Bernardus cap. 3. medit. asseruit: *Totus quidem iste mundus ad unius animæ pretium æstimari non potest; non enim pro toto mundo Deus animam suam dare voluit, quam pro anima humana dedit: Sublimius ergo est animæ pretium, quæ non nisi Sanguine Christi redimi potuit. Nonne Dei Filius, cum esset in sinu Patris, à regalibus sedibus pro ea descendit, ut eam à potestate Diaboli liberaret: flevit ipsam; nec solum flevit; sed etiam mortis obtulit, ut pretiosi Sanguinis sui pretio eam redimeret. Aspice mortalis, pro te datur Hostia talis. Agnosce ó Homo, quàm nobilis est anima tua, & quàm gravia fuerint ejus vulnera. Hactenus S. Bernardus.*

Quæsit aliquando Servator noster. Matth. 16. 26. *Quam commutationem*

tionem dabit homo pro anima sua? Et ego hic cum illo inquirō & quidem primò an auri commutatio? An ipsi montes aurei? An mundi moles, si tota esset aurea? An æqua foret illius cum anima? Minimè. Appello Isaiæ fidem; sic loquentis & attentantis, cap. 13. 12. *Pretiosior erit vir auro, & homo mundo obrysa.* Si non auri, an non gemmarum, unionum, adamantum, sceptrorum, coronarum, libertatis & vitæ commutatio? minimè. Sicut enim Crassi opes, aut thesauri Cræsi, aut talenta Mydx, aut aurei montes, nihil sunt ad animæ pretium, ita nec Oceani gemmæ, nec diademata regia, nec libertas aut vita ipsa, cum anima sunt conferenda: Hæc enim omnia corruptibilia sunt, & corruptilibus emi non potest, incorruptibilis anima. Quibus ergo? Audi Petrum Arcanæ Theologiæ verticem: ait ille; *Pretioso Sanguine, quasi Agni immaculati.* Hoc tuum pretium est, o anima! Unde Redemptor ait: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur?* Lucretur mundum & ejus Castella, Oppida, Palatia, Regna universa; *Quid prodest homini?*

Hac de causa, Christus Salvator noster, hujus margaritæ tam pretiosæ peritissimus æstimator; tantopere salutem cupisvis animæ zelabat; ut aliquando Sanctæ Brigittæ affirmârit. L. 7. Revel. cap. 19. Si adhuc possibile esset, ut ego toties morerer, quot sunt animæ in Inferno; ita ut pro quali-

bet illarum, ralem mortem rursus sustinerem, qualem pro omnibus sustinui: adhuc Corpus meum paratum esset subire hæc omnia, cum liberti voluntate, & perfectissima Charitate.

Ex hoc animæ pretio, patet ad oculum, quàm nobile opus sit procurare ejusdem salutem æternam, nullumque in eo æstimandum esse laborem. Sanè hoc animæ pretium, hic Sanguis est, qui viros Apostolicos in campum, in pulverem evocat, & per longos viarum anfractus, per sæva maria, & timendos æstus, importat in externos orbes, & utramque solis domum, oprandumque nobis, ut & nos importari mereamur.

III. Excellentia tertia ab ipsis animarum zelatoribus petitur; quotquot enim tam in veteri, quàm nova Lege vixere, Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Virique Apostolici Sanctitate illustres, in operibus zeli hujus exercendis strenui, indefessique exstitere. Et quidem in Lege antiqua, ut Eliam & Elisæum, Isaiam & Jeremiam, Ezechielem & Danielem, cæterosque Yates tacitus præteream, quanto animarum zelo exarsit Moyses populi Israelitici Dux, quando zelo succensus ex confidentia dicere ausus: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro, quem scripsisti.* Exodi 32. In Lege autem nova. 1. Christus Dominus & Redemptor noster, quanto animarum zelo fuit inflammatus, qui ad hoc Cælo

Pretio
zeli
rati

de

de regali folio descendit, mortalitatis nostræ Saccum induit, ut tanquam Pastor bonus, ovem perditam, id est, genus humanum, quæret, nec circumendo, clamando, invirando, prædicando fatigaretur, nec illos labores, sudores, & dolores refugeret, donec eam in ligno Crucis moriendo reperiret? 2. Ex hoc zelo vocati, missi, profectique sunt per Orbem terrarum Apostoli, ut animas quàm plurimas lucrarentur. *Venite post me, & faciam vos piscatores hominum.* Matth. 4. 19. Ubinam verò piscabuntur? in mari Gentilitatis, & Judæismi; quo innumeram piscum multitudinem in Ecclesiæ sagenam invehant, & in litus æternitatis pertrahant. Illo fine missi sunt: *Ita in mundum universum & predicare Evangelium omni Creatura.* Marci 16. Et illi profecti sunt, Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis. 3. Eodem zelo afflati fuere septuaginta duo Discipuli, qui cum Apostoli essent pauci, & messis multa, missi sunt, ut Apostolos adjuvarent, & Domino venturo viam præpararent: Ut refert Sanctus Lucas cap. 10. *Misi & alios septuaginta duos Discipulos in omnem Civitatem & locum, quo erat ipse venturus.* Ut veluti Apostolorum Coadjutores, animas ad fidem disponerent, instruerent, baptizarent, infirmos curarent, &c. 4. Simili zelo arsere viri Apostolici insequentibus sæculis, qui quæ concionando, quæ circumendo, quæ libros conscribendo, quæ laborando sudando, & Sanguinem profunden-

do animas DEO lucrari contendunt, tum Ecclesiastici, Episcopi & Presbyteri; tum ex variis Ordinibus Religiosi, ac denique ex Societate nostræ minime, Sanctus Ignatius, Sanctus Xaverius, Barzæus, Anchieta, Campianus, Garnettus, Caniæus, aliique innumeri.

Ut & nos hisce animarum zelatoribus annumeremur, Societatis albo inscripti sumus, Tyrociniumque auspiciati, ut virtutes ad munus istud Apostolicum necessarias nobis comparemus; sine quibus nihil effecturi sumus, & gravissimis in conservatione cum proximo periculis animæ exponendi. Præclare monet Sanctus Gregorius Nazianzenus, Apologia 1. *Officium, inquit, Presbyteri (& cuiusvis proximum ad salutem & perfectionem adjuvantis) celestem quandam vitæ rationem exigit: debet enim prius ipse purgari, deinde purgare alios; debet ipse Sapientia instrui, deinde alios eadem instruere: debet ipse lumen fieri, & alios postea illuminare; accedere ad DEUM, aliisque ad ipsum ducere; sanctificari, & aliis sanctitatem conferre.* Ex neglectu autem hujus Ordinis & processûs, videlicet proficiendi in se, ut aliis quis proffit, nascitur tractare de rebus Spiritualibus, absque Spiritu, & de divinis absque sensu; quod grave adeo, ac molestum, huic sancto Doctore accidit, ut, sicut ipse faceret, in desertum secesserit, ne Prædicatores quosdam de Spiritu, sine Spiritu tractantes, & Verbum DEI prædicantes,

cantes,

cantes, cum lenociniis verborum, ad placendum hominibus, coram intueretur. Idcirco sanctus quoque Patriarcha noster hominibus Societatis, magno opus esse aiebat Thesaurorum, & ut loquuntur Negotiatores, capitali devotionis, fervoris, & zeli, præcipue ad concionandum & convertendum; quod magni momenti negotium sit, rebelles ac duras movere in bonum voluntates, cordaque saxorum instar indurata emollire.

Quamobrem, si Societatis nostræ finem attingere cupimus, duplici Elia Spiritu, Charitatis DEI & proximi, ac præsertim, zeli animarum nobis opus est: ut autem illum à DEO obtineamus, is crebro à nobis est flagitandus: *Obsecro fiat in me Spiritus tuus duplex!* Qui est Spiritus Christi & Apostolorum. Deinde crebro consideremus ac in meditationibus nostris proponamus nobis hominis præstantiam, tum quoad

naturam, tum quoad gratiam. Item excellentiam animæ, pretioso JESU Sanguine redemptæ; ac denique nobilitatem & exemplum illustre, Moysis & Prophetarum, Christi Domini & Apostolorum, nostrorumque Patrum primipilorum; qui nihil nisi animas desiderare, sitire ac quærere videbantur. Ad extremum, nos Tyrocini tempore apremus, purgemus, ac perficiamus, quod, DEI instrumenta apta evadamus, plurimisque animas, omnibus mundi Thesauris pretiosiores, lucremur. Consideratæque hac earum nobilitate; in Apostolicis functionibus, Christi, Apostolorum, Discipulorum Christi, aliorumque athletarum vestigiis insistentes, nullos labores, sudores ac molestias reformidemus, aut subterfugiamus.



EXHOR-